


**05  
A  
1461**



2

EXERCITATIO QUARTA  
De  
**AMPLITUDI-**  
**NE GRATIAE DIVINAE**  
**ERGA OMNES LAPSOES PEC-**  
**CATOES,**

*Ex*

**Johanne Bergio, Ludovico**  
**Crocio, aliisque uberiorius conformata, & crassioribus**  
**Calvinistis, tum supralapsariis, tum sublapsariis, ut in**  
**Belgio vocantur,**

*opposita,*  
*Nec non*

**In Alma Wittebergensi**  
**Sub Amplissimae divinae gratiae auspiciis**

*PRÆSIDE*

**JOHANNE SCHARFIO, SS.**

Th. D. Professore Extraordinario. Metaph. & Log.  
Ordinario P. h. t. Ampliss. Facult. Philos. DECANO.

*Respondente*

**M. CONRADO Nessenfeldt / Dantiscano,**  
ad disputandum publicè proposita.

*In auditorio Veteri.*

*ad diem XXIII. Martij, horis matutinis.*

---

*WITTEBERGÆ,*  
**Literis JOHANNIS HAKEN, M. DC. XLIX.**

ЧИСЛЯ  
ЧИСЛЯ

ЭИЧИДА ПРАВОНИ  
БОГАВАЛА О АОЯ  
СЯТОА

ПОДАЧА ПОДАЧА  
СИПЕЛСА СОСТАВЛЕНИЕ СИПЕЛСА  
МЕДИСА СОСТАВЛЕНИЕ МЕДИСА  
СИПЕЛСА СОСТАВЛЕНИЕ СИПЕЛСА

22 ОНЯНОВАНИЯ  
БОГА В ДОКУМЕНТЫ ПРОДОЛЖАЮЩИЕСЯ

СИПЕЛСА СОСТАВЛЕНИЕ СИПЕЛСА

СИПЕЛСА СОСТАВЛЕНИЕ СИПЕЛСА

СИПЕЛСА СОСТАВЛЕНИЕ СИПЕЛСА

СИПЕЛСА СОСТАВЛЕНИЕ СИПЕЛСА

EXERCITATIO QUARTA

De

Amplitudine gratiæ divinæ, & æquali Dei benevolentia erga æquales reos, omnesque lapsos, & miseros peccatores.

Continuatio.

**B**enevolentissimam, misericordissimam & propensissimam Dei voluntatem erga universum genus humanum, omnesq; pariter miseros peccatores, demonstravimus hactenus. Patet inde, quod sanctissimus Deus, benignissimus Pater, in æquali generis humani, pariter perditi reparatione, neminem lapsorum hominum ex mea evdonia præterire, aut in miseria corrupti ullum relinquere, adeoq; ab omnigratia salvificâ excludere prorsus voluerit, sed potius omnium in eodem sincero affebili misericordia, ex paterna æquali Philanthropia. omnes in gratiam receperit: Et omnibus singulisq; in pari culpa & pœna constitutis, veniam, salutemq; eternam in Christo omnium Mediatore ac Redemptore reparandam, constituerit. Quæ doctrina fidesq; catholica cum ab adversariis Calvinianis variè pervertatur, ac vehementer impetratur, nec non impugnetur, exponenda ea nunc porrò erit, domesticis quoq; adversariorum testimonis confirmanda, nec non à strophis atq; corruptelis hostium veritatis impasterum vindicanda.

THESS. I. Clarissima adeò & probatissima sacræ scripturæ dicta sunt, quæ in antecedaneâ exercitatione contra Calvinistas, & absoluti decreti reprobationis assertores, produximus, de universalib; benevolentissimâ, misericordissimâ & gratosissima Dei voluntate, sive de universali Dei Philanthropia, & gratia, quâ Deus clementissimus paterno prorsus amore, omnes lapsos homines ex communi miseria pariter eruere, ac redintegrare, salvosq; fieri

A 2

cupit,

*De Ampli-  
tudine  
gratiae Lu-  
dowicus  
Crocius.*

cupit, & satagit, ut inficiari ea simpliciter, & palam diffiteri non ausint Calvinistæ: ne tamen turpiter errasse haec tenus, & manifesto falsa docuisse videantur, nec non apertissimæ veritati contravenire, aut evidentissimis verbi divini dictis obloqui censeantur, varias subinde comminiscuntur glossas & strophas, quibus eludere non nihil possint, quæ rectâ elidere non sufficiunt. Sed ita ubique agunt, ut nusquam firmo stent talo. Quinimò magna insuper volumina hodiè de universali Dei gratia, de amplitudine gratiae & meriti Salvatoris speciosè scribunt Galli Salmurienses, Bremenses, Crocius, Hermannus Hildebrandus, Moses Amyraldus, Camero, nec non Bergius, aliquique. Scilicet doctrina de gratiae divinae erga genus humanum amplitudine, est illa helena, inquit Ludovicus Crocius in præfatione dyodecadis dissertationum exegeticarum & apologeticarum syntagmatis, ob quam hic pulvis non sine detimento publicæ ædificationis parum prudenter excitatur. Quæ doctrina, si heretica est, tota veneranda antiquitas, nisi fallimur, nobiscum hereseos accusabitur, quippe quæ hac in parte à nobis non disfidet: si heterodoxa pleriq[ue] omnes, utiq[ue] tam veteres, quam recentiores Theologi, pietate & eruditione insignes, nobiscum erunt heterodoxi, quippe quorum vestigia in re, quicquid de phrasib[us] hac, illâ fiat, quam quisq[ue] omni aëvo peculiarem habuit, serio pressimus. Ecce confitetur ille doctrinam de amplitudine gratiae divinae erga totum genus humanum esse antiquissimam, & in tota veneranda Christi Ecclesia receptissimam, probatissimamque. Protestatur quoq[ue] se hic nullam aliam doctrinam tradere, quam quæ à tota veneranda antiquitate, nec non à veteribus pariter ac recentibus Theologis, quoad rem ipsam sit jam olim proposita, licet in phrasibus non nulla discrepantia occurrere videatur.

THESES. II. Et certè gravissima ea est controversia, quæ de amplitudine gratiae salvifica hodienum agitatur. Primum enim salutis æternæ principium concernit: Unde reliqua fidei dogmata de redemptione generis humani per Christum, Mediato-rem, Redemptorem & Salvatorem facta, de vocatione homi-num ad gratiam & salutem à Christo partam capessendam, de conuersione, justificatione, sanctificatione, de prædestinatione

ac e-



ac electione &c. dependent omnia. Quam propterea ut nunc  
porrò quām studiosissimē pertractemus, nec non magis magisq;  
expeditius, interest plurimum, & necesse penitus. Primum con-  
troversiae punctum illud est, an Deus in interno suo beneplacito seriō  
ac sincerè velit omnium hominum salutem? Nos constanter afferi-  
mus, & hactenus abundē demonstravimus. Prædestinatiani hæ-  
retici olim negarunt, uti in dissertatione prima prolixē induxi-  
mus. Negavit inde id ipsum Joh. Calvinus, qui & horribile pror-  
fus absolutæ reprobationis decretum inde porrò procūdīt. Ne-  
garunt idem similiter ejus complices & adseclæ, Beza, Zanchius,  
Piscator & in universum omnes, qui in Belgio vocantur super-  
lapsarij, crassissimi Calvinistæ, quorum opinio adeo horrida, im-  
pia atq; prophana est, ut posteriores Calvinistæ eam palam assere-  
re simpliciter non ausint. Non multum tamen inde abeunt Syno-  
dales Dordrechtani, qui hic inde decernunt, tandemq; conclu-  
dunt, *Deum ex mera euđonia plurimos in communi miseria deseruisse*,  
*sicq; reprobasse*: saltem recentiores quidam, Galli præsertim,  
Salmurienses & Bremenses, indeq; & alij, peculiarem hīc præ se  
ferre videntur doctrinam, qui *de amplitudine gratiæ speciosa prode-*  
*re incipiunt dogmata*. Tota igitur hæc causa & controversia  
ut planior reddatur atque expeditior, quatuor rei capita, pro no-  
stro quidem instituto, ordine in palestram producēmus. 1. *Splen-* *Molliores*  
*dida recentiorum Calvinistarum, molliorum in verbis, subtiliorum* *Calvinistæ*  
*in speculationibus, ( liceat ita loqui vel discretionis saltem gratia.)*  
*placita & dogmata, quæ de amplitudine gratiæ divinæ condunt tra-*  
*duntq; quibus nec parum derogant autoritati sectæ Calvinisticæ*  
*ejusque crassos errores palam produnt, & nostræ sententiæ suffra-*  
*gantur, adeoq; veritatæ orthodoxæ non obscurum perhibent te-*  
*stimonium, fidemque nostram insigniter confirmant.* 2. *Va-*  
*nissima veterum crassiorum & duriorum Calvinistarum glossemata,*  
*dissidia & certamina perversissima, quibus enormes suos errores pal-*  
*liare ac tutari annituntur.* Denique 3. novissimæ controversiæ  
specimina & documenta, quæ excutienda penitus erunt atque ex-  
aminanda, ut magis appareat, qualis illorum molliorum & subti-  
liorum opinio sit, quid illic veri falsive subsit: Tandem 4. toti-

Johan.  
Bergius de  
Universali  
Dei volū-  
tate.

us causa ē πηγοῖς addetur: quid tandem hīc statuendum, & quæ genuina atque vera universæ controversiæ summa & sententia sit.

THESES. III. Ac primò quidem Johannes Bergius Electoratus Brandenb. Anticus Concionator in libello German. Unterscheid vnd vergleichung der Evangelischen cap. III. Von dem Willen Gottes wegen der Seeligkeit vnd Verdammniss der Menschen quæst. 52. pag. 84 editionis Berlinensis de Anno 1644. quæstionem sic informat. Ob Gott gar nicht wolle/ daß alle Menschen Selig werden? Resp. ita: Gott ist von Natur gütig vnd barmherzig gegen alle Menschen. Er ist aber auch ein gerechter vnd ewiger Gott wider die Sünde der Menschen. Derhalben so hat Er zwar für sich kein wolgefassen an einiges Menschen verdammniss/ sondern wil/das sich jederman zur Busse kehre vnd selig werde: Jedoch der gestalt/ daß Er auch nach seiner Gerechtigkeit/ die sich nicht befehlen/richten vnd straffen will. Quam in rem citat dicta sacræ scripturæ Ps. CLV. v. 6. Suavis Dominus universis & miserationes ejus super omnia opera ejus. Deut. XXXIII I. v. 3. Diligit Deus populos omnes, sancti sunt in manu ejus. Prov. VII I. v. 31. Deficiæ meæ sunt cum filiis hominum. Sap. XI. v. 25. Deus diligit omnia, quæ sunt in natura, & nihil eorum, quorum est effector, abominatur. Non enim odiens aliquid constituit aut fecit. Matth. V. v. 45. Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Tit. II. v. 11. Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus χάρις τῇ γεγένησθαι σωτηρίος, salvifica sive salutifera Dei gratia, illuxit πάσιν αὐθεόποιος. Tit. III I. v. 4. Postquam benignitas & Φιλανθρωπία apparuuit Salvatoris Dei nostri secundum misericordiam suam salvos nos facit &c. Quæ dicta universalem Dei Φιλανθρωπία & misericordiam erga omnes homines clarè ac evidenter satis eloquuntur. Quorum evidentiâ convictus Bergius, eam non potuit amplius inficiari, aut in dubium vocare, sicuti olim & hactenus fecerunt Calvinistæ alij. Justitiam porro Dei astruit ex dicto Exod. XX. v. 5. de qua inter noslis nulla est. Id notandum o-

mnino



minò est , quod apertè scribit Bergius , Gott habe für sich kein  
wolgefassen an einiges Menschen Verdammis / sondern wolle daß  
sich jedermann zur büsse bekehre vnd selig werde. Quod suæ asser-  
tionis membrum solidè demonstrat ex sequentibus dictis : Nolo  
mortem morientis , dicit Dominus Deus , revertimini & vivite  
*Ezech. XVI. v. 32.* Vivo ego , dicit Dominus Deus , nolo mor-  
tem impij , sed ut convertatur impius à viâ suâ & vivat *Ezech.*  
*XXXIII. v. 11.* qui omnes homines vult salvos fieri & ad agni-  
tionem veritatis venire . *1. Tim. II. v. 4.* Apparuit enim gratia  
Dei Salvatoris nostri omnibus , erudiens nos &c. *Tit. III. v. 11. 12.*  
Nolens aliquos perire , sed omnes ad pœnitentiam reverti *II. Pet.*  
*III. v. 9.* Hæc illa sunt efficacissima & clarissima verbi divini di-  
cta , quæ Calvinistæ tandem veritatem extorserunt .

THEs. IV. Jam vide potrò , quām egregiè seu speciosè to-  
tam hanc causam tractet *Ludowicus Crocius in Syntagmate Theolog.*  
*Sacra lib. IV. cap. 1.* ex primis suis principijs eam eruere allaborat ,  
ac splendide satis eam in rem sic scribit : Principia salutis humanæ  
sunt gratia tum paternæ miserationis , tum fraternæ redemptionis , tum  
superioris Dei vocationis . Primum probat ex Rom. XI. v. 32. De-  
us conclusit omnes sub incredulitatem , ut omnium misereatur .  
Alterum ex 1. Job. II. v. 2. ipse ( Christus Mediator & Pontifex no-  
ster ) propitiatio est pro peccatis nostris , non pro nostris tantum ,  
sed etiam pro totius mundi peccatis . Tertium adstruit ex Luc.  
*XXIV. v. 46. 47.* Dixit eis Christus , ita scriptum est & ita opor-  
tuit Christum pati & resurgere ex mortuis tertio die , & prædicari  
ejus nomine pœnitentiam ac remissionem peccatorum apud o-  
mnes gentes , incipiendo ab urbe Hierosolymorum . Quæ dicta ,  
inquit , sunt divina interpretamenta primæ promissionis Evange-  
licæ *Gen. III. v. 15.* tamq; illustria , ut quicquid lucis humana af-  
fundant ingeria , præ illis meritissimæ sunt tenebræ . Et hæc omnino  
verissimæ sunt . Pergit Crocius ibid. per gratiam intelligimus actus  
divinæ benevolentiae & misericordiæ , quâ Deus humani generis  
lapsi misertus est , quando vidit id totum æterno exitio immergi ,  
neq; ullo pacto ex eo liberari posse , nisi ipse succurreret . *Eph. I.*  
*v. 5. c. II. v. 4. Tit. III. v. 4.* Unde primò manifestum est , cum divinæ

Principia  
Salutis.

literæ

**Gratia  
paternæ  
miseratio-  
nis.**

Literæ dicunt, gratiâ nos salvos factos esse, per gratiam non intelligendam esse, nisi misericordiam Dei, & gratuitum erga nos favorem. Et hactenus omnia benè se habent. Jam porrò scribit, docetq;: gratia paternæ miserationis est primum humanæ salutis principium, quo Deus totum genus humanum ita complectitur, ut velit omnes homines salvos fieri, eisque secundum sapientiam & justitiam suam media salutis amplissima ordinet ac determinet. Hujus primi salutis nostræ principij propria sedes est. Gen. III. v. 15. Job. IIII. v. 16. 1. Tim. II. v. 4. Tit. II. v. 11. 2. Pet. IIII. v. 9. Est autem hic considerandum ejus objectum & modus. Objectum gratiæ miserationis est totum genus humanum, ut miserum & peccato inquinatum. Hoc enim Salvator noster. Job. III. v. 16. docet vocabulo, mundus. Nam certum est hic voce mundi intelligi genus humanum, & quidem Universum, ut signanter addit Crocius in dyodecad. diss. 9. p. 474. Modus gratiæ miserationis consistit in illius amplitudine aut determinatione. Amplitudo ejus posita est in dono, in postulato, & in promisso. Determinatio gratiæ miserationis est, quâ Deus eam per sapientiam & justitiam suam ita limitat, emetitur & ordinat, ut hominem peccatorem non sine Christo filio suo aut extra eum, neq; sine pœnitentia & fide, sed hanc secundum suam postulando, & vitam in Christo promittendo, per gratiam verò utramq; largiendo, in amicitiam suam recipiat, à peccato absolvat & vitâ æternâ donet. Hæc Crocius de universali Dei gratia d. l. Quæ repetit in dyodecade dissertationum exegeticarum & Apologeticarum Syntagmatis dissertat. IX. §. 3. magisq; illustrat singula. Gratia, inquit, significat indebitam Dei benevolentiam, qua mortis & damnationis æternæ reos homines vult ad reconciliationem admittere & ipse medium reconciliationis ordinare, nempe Christi meritum & intercessionem. Job. IIII. v. 16. Rom. V. v. 8. 2. Cor. V. v. 18. 19. quomodo magnum Theologorum decus D. Rivetus disp. VII. de grat. univ. th. 26. voluntatem Dei antecedentem orthodoxè explicat & præparationis dicit, quæ etiam possit aliquo modo dici εὐδοκίας, non quidem respectu effectus, sed respectu mediorum, ad id per se conducentium, ordinationis. Item 2. Notat benevolentiam Dei intuitu meriti Christi provocatam ad hoc, ut velit lapsos homi-

**Fox gratiæ**

Syntagmatis dissertat. IX. §. 3. magisq; illustrat singula. Gratia, inquit, significat indebitam Dei benevolentiam, qua mortis & damnationis æternæ reos homines vult ad reconciliationem admittere & ipse medium reconciliationis ordinare, nempe Christi meritum & intercessionem. Job. IIII. v. 16. Rom. V. v. 8. 2. Cor. V. v. 18. 19. quomodo magnum Theologorum decus D. Rivetus disp. VII. de grat. univ. th. 26. voluntatem Dei antecedentem orthodoxè explicat & præparationis dicit, quæ etiam possit aliquo modo dici εὐδοκίας, non quidem respectu effectus, sed respectu mediorum, ad id per se conducentium, ordinationis. Item 2. Notat benevolentiam Dei intuitu meriti Christi provocatam ad hoc, ut velit lapsos homi-

homines ad participationem suæ gratiæ, & vitam æternam vocare. Gen. III. v. 16. Deut. XXXIII. v. 19. 20. 21. 22. 23. Ezech. XVI. v. 6. 7. Hof. I. v. 7. (3) Notat affectum cum effectu, seu benevolam Dei affectionem adhibitam ad operandum conversionem, hoc est, actualem communicationem mediorum salutis. Cor. III. v. 9. 10. & XV. v. 10. & Eph. I. v. 13. & II. v. 4. 5. 16. 17. præterea pag. 470. §. 48. sic loquitur. Tertius bonitatis divinæ progressus est misericordia, quæ est gratia paternæ miserationis, qua de hīc agitur, sive affectus miseris, non obstante peccato, succurrendi, excludens quidem Meritum creaturæ, sed non excludens Peccatum creaturæ, sed illi Remedium inveniens. Apostolus appellat τὴν χρησότητα οὐκ τὴν Φιλανθεωπίαν τούτην πατέρῳ Ιησοῦ bonitatem & erga homines amorem Servatoris nostri Dei, nō ex operibus nostris, quæ fecerimus nos, sed ex sua misericordia servavit nos per lavacrum regenerationis, renovationis Spiritus Sancti. Hæc ita Crocius.

THEs. V. Quæ dogmata ut magis magisq; comprobentur & illustrentur in præfatione dissertation. Exegetic. & Apolog. producit consensum Ecclesiæ totius inferioris Hassiacæ. Accedit, inquit, de hisce mysteriis prudentissimum ac mitissimum docendi genus totius inferioris Hassiae Principum amabæis scriptis editis A. 1622. p. 311. & 382. Hactenus ita docuerunt, & adhuc docent ac profitentur, quod videl. Deus omnium hominum salutem communiter velit: & licet actualis & efficax applicatio evangelicarum promissionum non omnibus, verum soli electis obtinet, nihilominus Christus toti mundo, atq; ita omnibus & singulis salutem & æternam beatitudinem acquisiverit, & promeritus sit, & ejusmodi acquisitam gratiam, & bona per sanctum Evangelium indiscriminatim omnibus & singulis hominibus, quibus prædicatur, offerri curet, unà cum certa hac promissione, ipsos, si penitentiam agant, & Evangelio credant, sui meriti actu participes futuros, atque ita electionem non esse factam ante decretum creationis & permissionis lapsus, nec ante decretum annunciandi Evangelium omni creaturæ, sed immediate hoc consequi. Quodq; reprobationis decretum non sit absolum, quod Deus in reprobatis causam reprobationis & conde-

Confessio  
Hassiacæ  
Ecclesia.

mnationis, peccatum scilicet, invenerit: Electionis etiam de-  
cretum absolutum non opponatur ordinato, quasi Deus eos, quos  
ad vitam æternam prædestinavit, absolvè absque ulla acciden-  
tibus medijs ad salutem producere velit, quod in electis nullā planè  
causam reperit, propter quam præ alijs ad vitam æternam præordi-  
navit. Sed & porrò suam sententiam de amplitudine gratiæ ex  
autoritate D. Ursini confirmat in dyodecade dissert. 9. §. 55. Certum  
est, inquit, Voce mundus Job. III, v. 16. Sic Deus dilexit mundum  
&c. intelligi genus humanum, & quidem universum, ut Catechu-  
meni nostri didicerunt ē quæst. catechet. 37. & ad illam Comenta-  
rijs D. Zachariæ Ursini quondam orthodoxi professoris Academiæ  
Heidelbergensis s. 3. cuius aurea verba sunt... *Causa movens De-*  
*um*, ut daret Filium pro nobis, fuit. 1. Amor Dei erga genus huma-  
num: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum  
daret. 2. *Misericordia erga lapsos in peccatum & mortem.* Ex sua  
misericordia servavit nos. Tit. III. v. 5. 3. Voluntas in Deo vindi-  
candi injuriam Diaboli, qui in Dei contumeliam nos ab ipso a-  
verterat, & imaginem Dei mutilaverat in contumeliam creatoris.  
Ubi sanè D. Ursinus Theologus à partium studio remotus Mundū  
vocem cum Apostolo Johanne accipit, non pro solis electis, ut  
citeriores quidam interpretantur, sed pro universo genere huma-  
no lapso: cui merito ad stipulamus. Hæc ita Crocius d. I.

THESES. VI. Splendida profectio omnia & speciosa satis, quæ  
ut causæ nostræ proprius accedunt, & in quantum aliorum Galvi-  
nistarum, præsertim supralapsariorum, horrenda dogmata palam  
evertunt, nec non sublapsariorum quoq; adeoq; & totius Synodi  
Dordrechtae doctrinam evidenter redarguunt, ita eatus ea  
comprobamus, & ambabus, quod ajunt, manibus acceptamus.  
Quia vero illi ipsi autores sectæ Calvinisticæ se addictiss. profiten-  
tur, eamque propagare etiamnum conantur, paulò altius in eo-  
rum mentem inquirendum erit. Cave, quisquis es, ne blandis ver-  
bis decipiaris. Nec im merito suspiceris, ὅπλοντι subesse. Ac  
sanè si omnia rectius estimaveris, & probè excusseris singula, haud  
obscure deprehendes, διύπλα ea non esse, nec id verè in summa-  
tri exhibere, quod verbis promittunt. Certe talia non sunt, quæ  
publicitus.

publicus in totius orthodoxæ Ecclesiæ præjudicium commendatione debeant, ut nuper intempesti vè nimis atq; infeliciter, ne dicam imprudenter, Non nemo fecit. Cautius hic agendum est, vel eam quoque ob causam, quod Autores illi, quorum causa nunc agitur, approbare nolint Formulam Concordiæ, in qua hæc ipsa doctrina de universalis gratia solidè afferitur ac sincerè proponitur: quin potius cum adversarijs, universalis gratiæ oppugnatoribus, colludere malint, nec non principium & fundamentum absoluti decreti in Synodo Dordrechtanâ statutum, tutari annitantur, æqualem insuper reparationis gratiam, & æqualem *Q̄iλαντωπιαν*, quoad salvandi voluntatem, pertinaciter impugnant.

THESES. V. I. Id verò promptè arripimus, quod illi ordinem decretorum divinorum aliter ac rectius proponunt: Electionem, nēpe non factam esse antedecretum Universalis vocationis sive annunciandi Evangelium omni creaturæ, ut disertè loquuntur Hafsiaci. Primò omnium itaq; hic præsupponendum est, enormiter errare illos, qui primum fidei & salutis aeternæ principium faciunt prædestinationem: quasi hæc sit primum Dei decretum, unde universa uerus, gratiæ salvificæ dispositio & administratio unicè dependeat. Quem exitiale sectæ Calvinisticæ errorem supra in præcedenti dissertatione produximus atq; profligavimus. Nunc saltem recolatur judicium, quod hac super causa in Mellificio historico Pezeliano part. III scribit M. Johann. Lampadius, quodque laudat ipse Crocius in præfatione modò notata. *Ad Schisma*, inquit, *Belgicum*, quod attinet, optandum esset, Belgas fideles cum Paulo in bonis operibus consecrari vitam aeternam, & sic vocationem suam & electionem firmam reddere. Hoc enim facientes nunquam caderent. II. Pef. LI. v. 10. Quærere enim de prædestinatione, an sis electus, sine mediis salutis revelatis, morsus est ille serpentinus, quo protoplasti infecti, & penè imperfecti sunt, teste Luthero. Unde Martinus jam morti vicinus ad Crocium sic scripsit: *Ego quidem plenag quæ de Dei decretis à pluribus in omnem partem disputantur, ad aedificationem parum facere judico, & experientiā & aliorum similibus iudiciis edocitus & persuasus;* Ideoque apud me constitutum habeo, nunquam nisi pauca, & parcè de ijs loqui vel scribere, potius autem

contentus esse enarratione exsecutionis, & ab ea ad illa auditores remittere, ut modus exsecutionis sit norma intelligendi decreta. Si quid autem omnino scribendum esset: mallem meis verbis paucis & necessaria scribere, eaque certa & indubitatum sensum habentibus, scripturæ testimonijs confirmare, quam vel publica vel privata verbotenus repetere, quæ alij aliter, ut scimus, alicubi interpretantur, interim nullius conscientiæ aut libertati quicquam velim, derogari vel præscribi. Ecce senis Martinius agnoscit decretū DEI ab eorum exsecutione estimanda & ordinanda esse. — Sed & observes, quomodo hīc Calviniani, eorumque gregales errant & fluctuant in ordine doctrinæ, quem hactenus temerè nimis observarunt de prædestinatione, sive electione, sive reprobatione hominum. Hoc primum est quod hīc contra crassos Calvinistas observandum est. Non procul inde abire videtur Joh. Bergius, quando in tract. German. Unterscheidt v. vergleich. de Election. p. 99. scribit, die Verordnung der Gnaden ist daß erste Stücke unsrer Wahl / dardurch er uns erst von der Welt angesondert/vnd Christo gegeben. Ita ille gratiæ destinationem suspendit ab absoluta electione.

Beza.

Renneche-  
rus.

THES. VIII. Deinde præoccupandum h. l. est, similiter errare illos, qui gratiam Dei faciunt particularem, ita quidem, ut Deus in voluntate beneplaciti sui non voluerit omnium peccatorum misereri, nec omnes in Adamo lapsos & perditos, pares licet in culpa & miseria, receperit in gratiam, nec serio velit, ut cunctes salventur. Errat omnino Theodorus Beza in secunda respons. ad acta Colloquij Mompelg. præfatione pag. 71. Nos, inquit, de prædestinatione docemus, Deum aeterno occulto & immutabili decreto, maximam partem hominum Nolle servari, & ad agnitionem veritatis pervenire. (Hoc est Apostolo Paulo aperte Colaphum infringere & mendacij arguere.) Item: Hoc dico, nunquam tempus fuisse, vel esse, vel futurum, quo voluerit, velit aut volitus sit Deus singulorum misereri. Errat pessimè Rennecherus de prædestinatione scribens: Illi qui Deum omnium misereri & singulos salvari sibi imaginantur, toto Cælo errant, & magnum peccatum admittunt. Similiter errant Zanchius in Miscellaniis p. 302. scribens: Deus absolvè vult electos salvos fieri, & absolvè itidem vult reprobos non servari. Itē

Grynaeus:

Grynaeus : Deus vult quosdam simpliciter salvos fieri , alios vero  
simpliciter non vult salvos fieri . Jobann. Piscator disputat : advers. Piscator.  
Schaf. Thes. 47. Deus decrevit ab aeterno quorundam tantum mi-  
sereri . Et paulo post : Etiam si Misericordia DEI dependeret a me-  
rito Mediatoris ; inde tamen non sequeretur , Deum misereri vo-  
luisse aut velle omnium , sed tantum aliquorum . Idem prefat . e-  
jusdem scripti : Deus non vult omnium misereri , nec vult omnes  
salvos fieri . Idem ibid . pag . 74 . Deus , etsi omnes vocat ad salu-  
tem ; tamen reprobos , quos semel exitio destinavit , salvare non  
vult . Nec inde multum abit Paræus in Commentat . Epistolæ  
ad Rom . restringens universalem Dei voluntatem Rom . XI . v . 22 .  
& I . Tim . II . v . 4 . ad credentes , nec non in Apologeticis Bibl .  
quando ait : Christus impænitentibus præcipit Pænitentiam , &  
jubet ad se venire , quanquam scit , Patri ipsius non esse complaci-  
tum , eis dare Pænitentiam vel fidem . Hæc omnia falsissima es-  
se , è dictis constat satis .

THESES . IX . Errant pariter Synodales Dordrechtani , qui pas-  
sim tam in actis Synodi Dordrechtae , quam in judicijs Provin-  
cialibus & extraneis artic . I . de prædestinatione docent , statuunt ,  
contendunt , Deum non serio velle omnium hominum salutem , sed Dordrech-  
plurimos ex mero beneplacito in reparatione generis humani præteriisse . tani Syno-  
& in communi miseria reliquisse , reprobasse , quinimodo & in hoc pun-  
dales .  
cto , in rejectione errorum artic . VIII . communibus suffragijs  
improbant , damnantq ; Remonstrantes , utpote qui docent , DE-  
um nemine ex mera voluntate decreuisse in lapsu Adæ , & in cōmu-  
ni peccati & damnationis statu relinquere , aut in gratia ad fidē &  
conversionem necessariæ communicatione præterire . Embdani Embdani .  
in suo judicio & examine quæstionum potissimum inter contra-  
Remonstrantes & Remonstrantes controversialum circa Artic . I . de  
prædestinatione quæst . XIII . p . 595 . disertè negant , Deum secun-  
dum beneplacitum suum serio velle omnes salvos fieri . Quam-  
suam thesin ibid . contra Remonstrantes aliquot argumentis ad-  
struere conantur . Idem ibid . in Synodo Dordrecht . docet fusi-  
usq ; deduxit Petrus Molinaeus p . 409 . quod si Deus , inquit , serio in-  
tenderet , & cuperet omnes servare , ut loquuntur sectarij , effice- Molinaeus .  
ret , ut

ret, ut omnibus Evangelium innotesceret, sine quo nemo salvatur. Non ergo, concludit p. 410., omnium hominum salutem Deus æqualiter cupit, sed vocatio tum externa tum interna secundum arcana doctrinæ prædestinationis dispensatur, ut non sit volentis, neq; currentis, sed miserentis DEi. Item addit, gratiam universalem datam omnibus hominibus, quæ vel mediatè vel immediatè sufficiat ad pervenientum ad salutem, nullam agnosco. Hæc Molinæus, cuius sententia approbatur ibid. in sess. 144. assentiuntur & reliqui Synodici Patres tam exteri, quam Provinciales. *Palatini.* Palatini p. 513. voluntas DEi, ajunt, qua pro beneplacito suo statuit, quorundam ex genere humano lapsi non misereri in Christo, sed eos in peccatis relinquere, & tandem propter illa damnare ad declarationem justitiæ suæ, est totum decretum reprobationis ad mortem. Quam suam sententiam probare annuntuntur ex Rom. IX. v. 16. 17. 18. quorundam dundaxat misereri Deum ad salutem, quodq; non omnes dederit filio suo redimendos. ex Job. XVII. v. 9. non pro mundo &c. Quod non omnibus fidem in Christum, gratificari statuerit, quæ tamen ex ipsius solum donatione obtinetur, utè Matth. XIII. v. 11. Illis non est datum &c. Similiter Theologi Hassiaci p. 534. statuunt DEum decreuisse ab æterno ex genere humano lapsi, quosdam pro suo beneplacito in lapsu & miseria relinquere, & media ad fidem & conversionem ipsam etiam salutem obtainendam necessaria eis non conferre. Idem passim inculcant & reliqui Calvinistæ in Synodo sua nationali. Quorum sententia ibidem comprobatur, & confirmatur ab Illustriss. præpotentibus Dominis ordin. general. p. 385. Impia ista & blasphema Calvinistarum doctrina est. Longè aliud, longè melius docet Scriptura S. & inculcat universa ecclesia Christi orthodoxa. Nimirum Deus neminem in lapsu reliquit, neminem in communi miseria deseruit, sed omnibus dedit Redemptorem Christum, qui satisfecit pro omnibus, ut Crocius fatetur.

*THESES.* X. Errat itaq; Universa secta Calvinistarum, quæ non modo erronea illa & prava dogmata modò notata suo calculo approbavit, sed quoq; in declaratione sententiæ Synodicæ canon. XV. fancitatq; decernit: *Deus ex liberrimo, justissimo, irreprovensibili &*

*imm*



immutabili beneplacito decrevit in communi miseria, in quam se sua  
culpa precipitarunt, relinquere, nec salvifica fide & conversionis gratia  
donare, sed in vijs suis, & sub justo iudicio reliquos tandem non tan-  
tum propter infidelitatem, sed etiam cætera omnia peccata ad de-  
clarationem justitiae suæ damnare, & æternum punire. Item  
in refectione dominant Remonstrantes, eò quod doceant, DEum  
decreuisse neminem in communi statu peccati relinquere. Synodus  
rejicit errores eorum, dicunt, canon. VIIII. qui docent, DEum ne-  
minem ex mera justa sua voluntate decreuisse in lapsu Adæ & in  
communi peccati & damnationis statu relinquere, aut in gratiæ  
ad fidem & conversionem necessariæ communicatione præterire.  
Stat enim illud, quorum vult, miseretur, quos vult, indurat.  
*Rom. IX. v. 18.* Et illud, Vobis datum est, nosse mysteria regni  
cælorum, illis autem non est datum. *Matth. XIII I. v. 11.* I-  
tem, Glorifico te, Pater, Domine Cæli & Terræ, quod hæc occul-  
taveris sapientibus & intelligentibus, & ea detexeris infantibus:  
Etiam, Pater, quia ita placuit tibi. *Matth. XI. 25. 26.* Hæc sen-  
tentia est totius Synodi Dordrecht. quam manuum suarum sub-  
scriptione obsignarunt omnes & singuli Synodici Calvinistæ, Bri-  
tanni, Palatini, Hassiaci, Helvetij, Wedderavici, Genevenses,  
Bremenses, Belgici, Hollandi tam australes, quam boreales, Ze-  
landi, Ultrajectini, Frisij, Grôningenses Theologi, &c. ut videre  
licet ex actis Synod. p. 347. Editio Hanoviensis in 4. Anno 1620.

THESES. XI. Hæc, inquam, omnia erronea sunt & horrida  
Calvinistarum dogmata, nec cum hypothesis Croci supra no-  
tatis consistere aut conciliari possunt, modò ingenuè conceptæ eæ  
ab autore sint, & candidè sine fuso propositæ. Certè clarissima  
dicta sunt. Notanter Dominus ait: *Nolo mortem peccatoris, sed ut*  
*convertatur, & vivat.* *Ezech. XVII I. v. 32.* Item, vivo ego dixit  
Dominus Jehovah: *Nolo mortem impij, sed ut convertatur impius à*  
*viâ suâ, & vivat.* Convertimini, convertimini à vijs vestris  
malis; &, ut quid moriemini dominus Israël? Quod dictum prolixè  
exposuimus in disput. antecedanea tertia. Hic saltem notetur,  
quod Deus protestetur, se nolle mortem improbi, etiam morien-  
tis in peccato. In Hebreo habetur nomen ΥΨΩΝ quod significat  
homi-

hominem turbulentum, quietum, perditissimum, mente ac animo iniquo & turbulentio, cui non est pax. *Ezai*: *XLVIII*. v. 2. *cap. LVII*. v. 24. qui malam causam agit. *Exod.* II. v. 13. *Psal.* IX. v. 16. qui perit in peccatis. *Gen.* XVIII. v. 13. 25. *Psalm.* 1. v. 5. De tali improbo & perduto homine ait Dominus **אַחֲפֵץ בְּמֹת הַמִּתָּה לֹא**. Nolo morte impij morientis. Quibus verbis Jeheyah Deus noster omnem causam perditionis humanae a se removet, & in homines infideles & rebelles transfert. *Hos.* XIII. v. 9. Perditio tua ex te, ô Israel, in me vero salus & auxilium tuum. Ubi quidem Hebraea verba varie redduntur, sensus tamen manifestus est, quod origo mali non in DEi *euδοξίᾳ*, sed in hominum malitia sit querenda. Agnoscit ipse Crocius, quod ex isto loco *Ezech.* XVIII. *absolutum reprobationis decretum fortiter redargui possit*, in *Syntagmat. lib. 4. cap. 1. pag. 980. §. 5.*

Absit, ut tam justo mundi judici hoc judicium tribuamus. *Genes.* XIIIX. v. 15. quippe qui tam constanter & seriò asseverat, se non delectari morte peccatoris. *Ezech.* XIIIX. uti prolixè describitur in hoc ipso capite *Ezech.* XIIIX. v. 10. 11. 12. 13. 14. &c. & *sa- pient.* XII. v. 15.

THES. XII. Hic vero animum advertat Crocius, atque attendat rectius, quod Dominus Deus in illa sua asseveratione, juramento etiam confirmata, seriò detestetur omnem omnino absolutam peccatorum reprobationem, sive à gratia, sive à gloria fieri censeatur, sive negativa, sive positiva, sive simplex, sive comparativa & respectiva dicatur. Nullius enim peccatoris mortem vult Dominus, justissimus Judex, in beneplacito suæ voluntatis, sicuti protestatur ipse: *Non delector morte improbi.* Quæ vehemens negatio est, ut alibi docetur, & graviter pronunciat, quod interitum peccatorum prorsus nolit, nec quenquam ex mera *euδοξίᾳ* reprobare, in miseria relinquere velit. Sic & Apostolus Petrus notanter ait *II. Pet. III.* v. 9. Deus non vult ullos perire, sed omnes ad pænitentiam reverti: Ideò & magna lenitate tolerat improbos, ut per DEi longanimitatem moveantur & incitentur ad pænitentiam, ut Paulus disertè afferit. *Rom. II.* v. 4. *An divitias benignitatis ejus & tolerantiae & lenitatis contemnis?* Ignorans ὅτι τὸ χρηστὸν τῷ

958

Ge<sup>n</sup> eis p<sup>a</sup>g<sup>o</sup>vois se  $\ddot{\alpha}$ y $\ddot{\alpha}$ , quod benignitas DEi ad p<sup>a</sup>nitoniam te-  
ducat, efficaciter agat, moveat, actu trahat, quæ vis verbi  $\ddot{\alpha}$ y $\ddot{\alpha}$ v est.  
Rom. VIII. v. 14. Fasissimum proinde est, quod DEus in bene-  
placito voluntatis suæ aliquos absolute reprobet, quocunq<sup>ue</sup> mo-  
do ea reprobatio sive exclusio à gratia DEi, ( quæ maximè certa  
pæna est ) sive simpliciter, sive comparatè, sive finitè, sive infinitè  
&c. Errat omnino Johannes Crocius in defensione secundæ partis  
conversationis Prutenicæ adversus Menzerum c. IIX. p. 269. scri-  
bens, quod Deus aliquos & non omnes, deinde, quod hos potius,  
quam illos reprobare decreverit, *præter Dei voluntatem, causam non  
invenio. In Scriptura enim non est exposita.* Imò verò Croci ibi  
est exposita, quod nempè sit negligentia mediorum salutis à DEO  
omnibus oblatorum, contemptus verbi divini, impenitentia, fina-  
lis incredulitas &c. Errat porro Crocius d. l. cap. IX, pag. 284.  
quæritur, cur hunc potius quam illum præterierit? Respondetur,  
quia sic volui. Quæritur, cum omnes essent damnatione di-  
gni, cur hunc potius quam illum decreverit propter peccatum da-  
mnare? Resp. Quis cognovit sensum domini? Quis consiliarius e-  
jus fuit? *præter liberrimum placitum nullam causam assequor.* Quid  
ergo tandem ait Croci? Ergone DEus quosdam absolute & simpli-  
ci suo decreto, seu ex mera *eu<sup>o</sup>donia* reprobavit, & prædestinavit ad  
damnationem? Anne causa damnationis revelata satis est in  
verbo DEi?

THESS. XIII. Attende rectius, quid loquaris: Ais propter  
peccatum reprobantur aliqui, & tamen ex mero DEi beneplacito.  
A<sup>o</sup>ū<sup>o</sup>st<sup>o</sup>ta hæc sunt, nisi forsitan velis cū crassissimis Calvinistis sta-  
tuere, peccatum ex mero absolute Dei beneplacito depēdere. Nos  
contra sic arguimus. *Quicunq<sup>ue</sup> ex mera Dei eu<sup>o</sup>donia & liberrimo*  
*eius placito reprobantur, illi non propter peccatum, sed ex absolute sim-  
plicissimo DEi decreto reprobantur.* Ratio connexionis est in prom-  
ptu: quia *præter Dei voluntatem ibi nulla alia causa dari potest,*  
ut communiter sententur Calvinistæ, & Crocius ipse modò profite-  
batur.

Atqui aliqui homines, sive hic sive ille potius, *ex mera DEi eu-  
donia & liberrimo ejus placito reprobantur*, quæ communis Calvinistarum sententia & assertio est. E.

Johan.  
Crocius.

Q

Ergo

Ergo aliqui homines, sive hic sive ille potius, non reprobantur propter peccatum, sed ex absoluto & simplicissimo Dei decreto, cuius extra ipsius voluntatem causa nulla est. Quae conclusio ex Calvinistarum doctrina & principijs deducta, omnino erronea est, blasphemica, & contumeliosa in sanctissimum DEum.

D. Men-  
zerus.

THESS. XIV. Sed excipiūt Calvinistæ, objectū reprobationis esse homines lapsos & peccatores. Ergo reprobantur propter peccatum. At vero illud peccatum in lapsu primoru hominum contractum est prorsus idem, par, & æquale omnibus. Causa igitur discriminis esse non potest, cur aliqui, hic, vel ille, vel iste, reprobentur. Respondet insuper D. Menzerus in respons. ad defens. secundæ part. conversationis Prutenicæ cap. IX. p. 85. Ita reprobatum, velsi haec locutio non placet, rejectum esse, totum genus humanum propter peccatum, ut sit ejectum ex Paradiſo. Haec reprobatio sive Ejectio, quæ omnes indifferenter comprehendit, non potest aut debet opponi Electioni, quæ ex omnibus aliquos segregat. Ethic claudit simile allegatum ex Molinæo p. 284. Objicis; DEus ex singulari misericordia aliquos elegit & liberavit: reliquos justo suo judicio deseruit, & reliquit in sua miseria. Respondetur. Haec vox non hominis est, nedum Christiani, sed est boatus blasphemantis misericordiam, charitatem & dilectionem DEi, toti mundo, & omnibus in ipso hominibus dantis filium suum redemptorem. Faretur Crocius, Christum pro omnibus satisfecisse. Atqui DEus dicit sine blasphemia non potest, eos præteriisse, deseruisse, reliquisse, quibus dedit filium suum unigenitum, ut pro ipsis subiret mortem. Nisi abstineant Calviniani toties moniti & rogati, ab atrocissimâ hâc blasphemiam, sentient gravissimas à DEo pænas. DEus neminem deserit, nisi prius ipse desertus. Et cum posset justissimè animadvertere in totum genus humanum peccato contaminatum, ex merâ misericordiâ dedit nobis filium suum Job. III. v. 16. I. Job. IV. 9. 10. Quare extrema ingratitudo est, accusare DEum, quod maximam humani generis partem deseruerit in sua miseria. Non enim deseruit, sed misit mundo filium redemptorem, in cuius nomine vitam habebunt, quotquot in ipsum credunt. Nec minor blasphemia est, docere, DEum ab aeterno decrevisse, maxima

scimē hominum parti , etiā amī inter eos , quibus Evangelium annuncia-  
tur , nolle dare gratiam conversionis & fidem salvificam . Et tamen  
hanc in ipsum Deum contumeliosam doctrinam Synodus Dor-  
drechtana comprobat , & Steinius & Crocius confirmant , & qva-  
tum possunt , defendunt . Hæc Mentzerus .

THES. XV. Clarissima & gravissima dicta sunt , quibus  
Dominus universalem suam voluntatem , benignitatem & benefi-  
centiam sanctè contestatur : *Volo ut improbus convertatur & vivat*  
*Ezech. XVIII. v. 23.* Vidi te conculcatum in sanguine tuo , &  
dixi tibi in sanguine tuo vives : dixi , inquam , tibi , in sanguine tuo vi-  
ves . *Ezech. XVI. v. 6.* Unde scribit Apostolus Paulus *Colos. I. v. 19.*  
Complacuit DEo patri , εὐδόκησε , ut per Christum omnia recon-  
ciliarentur , tum quæ in cælis , tum quæ in terris sunt . Ecce  
εὐδοκία , beneplacitum DEi hoc est , ut omnia reconciliarentur ,  
per mediatorem Christum . Quam Dei εὐδοκίαν Apostolus Paulus  
graviter inculcat *I. Tim. II. v. 4.* Deus vult omnes homines sal-  
vos fieri & ad agnitionem veritatis venire . Quæ verba Apostoli  
de DEo sunt longè dulcissima & omnibus modis dignæ , quæ fide  
amplectamur , πάντας αὐθεώπεις θέλει οὐδείνας , vult omnes homi-  
nes salvos fieri , ut agnoscit ipse Ludov . Crocius in *dissertat. exegesi-*  
*cis dissert. IX. §. 5 i.* quæ , inquit , mirum si nemo amplectetur , &  
orthodoxè interpretaretur , nisi distinctionem voluntatis *compla-*  
*centiæ & decreti* scholæ , cū tali præsertim interpretatione ac deter-  
minatione , quā nec decimus quisq; facile divinaverit , reperiens .  
Ego sanè , pergit Crocius , ut jacent ea accipio , & quidem partim pro  
voluntate complacentiæ , quam vocant , seu approbationis & dele-  
ctionis , partim pro voluntate faventiæ sive benevolentiæ atque  
ad eò beneficentiæ , quia secundum sapientiam & justitiam salutis  
media ordinat , & Hebræis *IV. 13.* ut plurimum dicitur . *Psalm.*  
*p. v. 5. v. 13. Psalm. LI. v. 18. 20. 21. & XLVII. 10. 11.*

THES. XVI. Clarissima & gravissima dicta sunt , quibus u-  
niversalis dilectio Dei erga omnes peccatores nobis commendatur . *Dilectio*  
*Rom. V. v. 8.* commendat DEus suam charitatem erga nos , quod , *Univer-*  
*cum essemus adhuc peccatores , Christus pro nobis mortuus est . salis .*

Quæ gratia ibid. extenditur ad omnes in Adamo perditos v. 15. &  
seqq. Job. III. v. 16. Sic DEus dilexit mundum , ut omnis, qui  
credit in eum , non pereat. Ubi monet Ludov. Crocius in  
Syntagmate S. Theolog. lib. IV. cap. 1. §. 5. quod in sacris literis vox ,  
mundus , aliquando significet genus humanum universè , aliquan-  
do certam illius partem , & quidem vel credentes duntaxat , qui ē  
toto mundo ad regnū Dei colliguntur. ut Job. VI. v. 33. 2. Cor. 5. v. 19.  
(hic fallitur Crocius) vel impios duntaxat , qui ē toto mundo con-  
demnantur. Manifestū v. est , vocem , mundi , hīc non intelligi hoc  
ultimo significatu , quo accipitur Job. XVI. 9. Non oropro multo  
& Joban. XIV. 17. mundus non potest accipere spiritum veri-  
tatis. Nam neque videt eum , neq; cognoscit eum , nempe impi-  
us mundi indurati cærus , qui in incredulitate & impænitentiā suā  
contumaciter perseverat . Nam Christus non docet Deum tales  
adhuc diligere , aut etiam intuitu talis incredulitatis dilexisse , sed  
ait . Job. III. v. 36. jam judicatos esse , & iram DEi super eis  
manere . Nec tamen Christus hīc per mundum intelligit ele-  
ctos tantum , prout jam à mundo separati sunt : sed totum genus hu-  
manum universè sumtum , prout natura in peccato jacer , & prout  
communiter per Evangelium ad pænitentiam & fidem in Chri-  
stum vocatur , secundum illud Marci XVI. 16. proficiscentes in  
totum mundum prædicare Evangelium omni creaturæ & I. Job.  
VI. v. 2. Hanc verò non esse παρεγγέλια , sed genuinam verbo-  
rum Christi interpretationem , manifestum fit , tum ex his verbis ,  
quibus communiter omnibus hominibus si modò in filium credant  
vita æterna promittitur : tum ex sequentibus , ubi hic mundus in  
duas partes dividitur , quarum una in filium credit , adeoq; dile-  
ctionem DEi , lucem , vitam , & salutem amplectitur ; altera verò  
non credit , quam postmodum dilectione & gratia DEi privat , ju-  
dicisque æterni ream agit : tum deniq; ē tota concione Evange-  
lij , qua dilectio & gratia DEi in Christo omnibus communite-  
offertur , iijq; per eam ad pænitentiam & fidem in Christum invi-  
tantur . Rationes verò ob quas Christus hāc loquendi formulâ  
usus est , potissimum duæ sunt . Prior respicit Judæos & gentiles ,  
ut nempe sciamus DEum non solos Judæos ita dilexisse , quem-  
admo-

Mundus  
significat  
totum ge-  
nus hu-  
manum .

admodum sibi perperam persuadebant, se flos esse dilectum Dei populum; verum & gentiles, ut liquet ex Job. XI. 81. 82. ubi assertur, Jesum mortuum quidem pro populo, verum non pro populo solum, sed etiam ut filios DEi, qui in toto mundo dispersi erant, colligeret. Posterior respicit omnes tentatas conscientias, ut videlicet sciamus, neminem hominem *absolutè agnitiā DEi exclusum esse*, præter eos qui sese propria sua impænitentia & incredulitate ab ea excludunt. Item in Dyodecade, dissertat. IX. §. 56. p. 475. Quamvis in sacris literis dictio, *mundus*, aliquando significet totum mundi Systema, aliquando certam ejus partem, homines puta peccatores, & quidem vel credentes & non credentes promiseū, vel non credentes & impios duntaxat, qui ē toto mundo condemnantur: hīc tamen pro humano genere capitūr universē, ut tota orthodoxa antiquitas recensiones & quidē melioris notā Theologos, Lutherum, Melanchthonem, Calvinum, Pezelium nostrū, aliosq; adversus Romanum papatum omnesq; hæreses, protestantes & orthodoxos quām plurimos edocuit. Universē, inquam, hīc capitūr dictio *mundus*, pro toto humano genere, quod naturā in peccato jacet & communiter per protovangelium ad pænitentiam & fidem in semen benedictum, Messiam sive Christum, à DEO Φλαυθρωπῳ vocatur, quemadmodum eximius Theologus D. Johan. Bergius in aulā Electorali Brandenburgicā, commentario luculento in dictum *Johan.* III. v. 16, quem Syntagmatis nostri p. 987. laudavimus, solidē demonstravit. Hactenus verba Crocij splendida & speciosa satis.

THESES. XVII. Et hæc ita illi de amplitudine gratiæ. Lustremus nunc *crassiorum Calvinistarum glossemata*, qvibus dicta modò *Glossemata* notata, & ab ipsis recentioribus Calvinistis laudata, pervertere cōta *Calvinianū*. In varia illi scinduntur studia, nec sècum consentiunt, nec *nistarum*: inveniunt, in quo firmiter consistere queant. Unus quod statuit, alter rescindit evertitq;. Saltem ut eludant illa dicta, modò *simulatam*, nescio quām, DEI voluntatem comminiscuntur, modò ea interpretantur *de voluntate signi*, *de doctrinā*, & voluntate revelata, approbationis, præceptionis &c. modò universalia dicta restrin-

gunt ad genera singulorum, ad quosvis status sive ordines hominum,  
vel ad eos, qui convertuntur & salvantur; modò hypotheticè intel-  
ligenda censem. Si crediderint, & quæ sunt alia  $\mu\mu\sigma\Phi\gamma\eta\tau\alpha$ , quæ  
hic passim conjectari solent. Calvinus Princeps Calvinistarum, et  
Antipilanus, ut à Crocio laudatur, Super Caput XVIII Ezechie-  
lis sic commentatur ad illud: *an ulla pacto delector morte impij? di-  
cit Dominus DEUS, an non ut convertatur à viis suis, & vivat?* alijs  
inquit, verbis confirmat, Deum nihil magis cupere, quam ut qui-  
cunq; peribant & ruebant in mortem, redeant in viam salutis. Et  
hac etiam de causa non modò hodiè Evangelium promulgatur in  
mundo, sed omnibus seculis voluit Deus testatum esse, quam pro-  
pensus sit ad misericordiam. Deinde subjicit: *Dicitur Deus nolle  
mortem peccatoris. Qvare? qvia vult omnes converti.* Nunc viden-  
dum est, qvomodo velit Deus, omnes converti. Nam pænitentia  
certè est singulare ejus donum, quemadmodum ejus est *creare*  
homines. Jam si penes Deum est, convertere homines, sicuti  
*creare*, sequitur ideo non converti reprobos, quia Deus non vult  
ipsos converti. Si enim vellet, potestas in promptu est. Hinc i-  
gitur appareat, eum nolle. Sed nunc rursus obganniunt, si De-  
us non vult omnes converti, ergo ipsum esse fallacem: deinde ni-  
hil certi statui posse de paterna ejus benevolentia. Atqui iterum  
facilè solvit nodus ille. Neque enim reliquit nos suspensos,  
ubi dicit se velle omnes salvos facere: quare? si enim nemo resipi-  
scit, quin simul ipsum exorabilem reperiat, ita impletur hæc sen-  
tentia. Sed notandum est, Deum *duplicem personam induere*.  
Nam hic vult estimari ex suo verbo. Sed interea non obstat hæc  
DEi voluntas, quam in verbo suo proponit, quin decreverit an-  
te creatū mundum, quid facturus esset de singulis hominibus.  
*Hæc Calvinus ibid.* Qui quod magis suis indulget hypothesis, &  
præconceptis opinionibus, eò in pejora semper ruit dogmata.  
Supponit ille homines converti, sicuti per absolutam potentiam  
Dei creati sunt, quod cum non ita faciat in reprobis, eum nolle  
istos convertere. Unde mavult deserere sermonis proprietatem,  
quam apertis dictis acquiescere, sed & inde DEo duplicem impo-  
nit personam, duplarem attribuit voluntatem, alteram alteri pla-  
nè ad-

Calvini  
blasphem-  
mia de  
duplici  
personâ  
Dei.

nē adversam. Quo sanē dogmate nihil cogitari potest vel absurdum magis vel impium.

THESS. XVIII. Eam tamen vəsaniam Calvinus in ultimo præsentis capitis Prophetici versiculo ingeminat, & magis magisq; prodit. Verba Prophetæ sunt : *non delector morte morientis*, dicit *Ezech.* *Dominus Deus : Convertimini igitur & vivite. Agnoscit aperta ea esse XVIII.* Prophetæ verba. Deus n. dolenter h̄c testatur, se nolle mortē morientis. Subdit verò : Respondeo, nihil esse absurdi, si Deus suscipiat duplē personam, non quod ipse sit duplex, sed quia incomprehensibile est nobis ejus consiliū. *Hoc qvidem fixum esse debet, ante conditum mundum nos esse præde stinatos vel ad vitam vel ad mortem.* Nunc qvia non possumus ascendere ad illam altitudinem, necesse est, ut Deus se ad ruditatem nostrā conformet. Hinc porrò verba velle & nolle, qvæ simplicissimæ significationis sunt, adeò pervertit, ut impropriè accipienda esse dictitat. *Solutio, ait in promptu est, Deum metaphorice loqui & mutuari, quod hominibus propriè con venit.* Jam cur non idem in causa præsentī valebit? nempè Deum respectu Legis & totius doctrinæ Propheticæ pronunciare, se velle omnes salvos. Ergo Deus non oblectatur morte morientis, nempè si respiciamus ejus doctrinam. Qvod si volumus penetrare ad ejus in comprehensibile consilium, alia erit ratio. O, sed hoc modo Deus est duplex. Jam negavi, qvamvis suscipiat duplē personam, qvia sic necesse est, pro modulo captus nostri. *Interea verissimè hæc pronuntiat Ezechiel, Deum nolle mortem pereuntis quo ad doctrinam.* Hæc Calvinus. Ecce qvalem ille Deo tribuat doctrinam & personam, qva id præ se ferat, qvod revera non vult, nec est : qvā id repræ sentet, qvod non est in consilio Dei incomprehensibili, imò qvod ibi aliud est, & alia ratio, Scilicet loqvatur ita Deus pro modulo captus nostri, qvod tamen non ita sit. At verò hoc non est docere, sed decipere. Sic enim non dicitur id, quod res est, sed aliud quam res est. Fallit ergò iste sermo & decipit. Absit, absit quam longissimè, ut id de verbo Dei vel cogitemus, nedium pronunciemus. Sic enim sublata esset atq; penitus prostrata omnis veritas divina, omnis fides, omnis spes, & in universum omnis religio Christiana. Tantum est, quod hic errat & blasphemat Calvinus.

THESS:



THES. XIX. Rectius pronunciant, statuuntq; Britanni  
Theologi part. i. *Synodi Dordrecht. in judicio exterorum*: Evange-  
lio, inquit, nihil falsum aut simulatum subest, sed quicquid  
in eo per ministros offertur aut promittitur hominibus, id eodem  
modo ab autore Evangelio offertur & præmittitur ijsdem. Huc  
facit quod meritissimè scribit, & verè censet Crocius in *dissertat. Apologeticis thes. L X. pag. 89.* Repudiamus eorum opinionem, qui  
docent, Deum voluntate revelatâ nolle, occulta velle peccata:  
DEum interdum verbo significare, se velle, quod revera non  
vult: nec semper, nec in omnibus verum esse, DEum, quod man-  
dat, velle effici. Ego enim, si ita loquar, aut scribam, indigna-  
DEo, me ipso judice, sentiam, qui neq; explicare possum, quomo-  
do illa cum perpetua & immutabili veracitate, sinceritate & justi-  
tiâ convéniant: interim mandatorum Dei multas varietates a-  
gnosco, qvas hic nunc non possum explicare, veruntamen nul-  
lum, qvod non sit veritate & sanctitate subnixum. Sed et Calvi-  
nus ipse semetipsum damnat, qvando lib. IV. instit: cap: XVI. §. 5.  
*disertè scribit.* Non dignatus est Dominus olim circum cisione, quin eor-  
um omnium participes ficeret, qvæ per circumcisionem signata tunc fue-  
runt, alioqui meritis præstigijs ludificatus esset populum suum, si fallacibus  
Symbolis eos lactasset, qvod solo auditu horrendum. Ita omnino est. Ast  
verò idem velim judices de verbo prædicationis, qvod si Deus non  
velit auditores eorum omnium participes facere, qvæ per verbum  
offert, promittit, annunciat, tum utiq; meritis præstigijs ludifica-  
retur homines, &, vel ipso Calvinò judice, fallacibus signis eos  
lactaret, quod certè solo auditu horrendum est.

THES. XX. Neq; ab isthac impietate multum abeunt illi  
commentatores, qui dicta interpretantur de voluntate signi & reve-  
latâ, ita scilicet, ut istam circa idem atq; uniforme objectum di-  
scriminent à voluntate beneplaciti & arcana. Audiatur rursus  
Johannes Calvinus, qui super *I. Tim. II. v. 4.* DEus vult omnes  
homines salvos fieri sic commentatur: DEo cordi esse omnium  
salutem demonstrat, quia omnes ad veritatis suæ agnitionem vo-  
cat. Argumentum est à posteriori. Nam si Dei potentia est E-  
vangelium in salutem omni credenti, certum est invitari omnes  
ad

ad spem vitæ æternæ , quibus Evangelium offertur. *II.*  
*Pet. III. v. 61.* Non vult ullos perire , sed omnes ad pænitentiam tendere. Iterum Calvinus: Mirificus hic erga humanum genus amor , qvod omnes vult esse salvos , & ulro pereuntes in salutem colligere paratus est. Sed hic quæri potest , Si neminem Deus perire velit , cur tam multi pereunt? Respondeo , non de arcano Dei consilio hic fieri mentionem , quo destinati sunt reprobri in suum exitium , sed tantum de voluntate , quæ nobis in Evangelio patefit. Hinc communiter tradunt Calvinistæ; Deum velle salutem omnium hominum voluntate signi , non voluntate beneplaciti , ut Beza in *Respons. II. ad acta colloquij Mompelgartens.* Zanchius lib. III. de natura Dei cap. 4. & lib. 5. cap 2. q. 3. thes. I. n. 8. fol. 63. sic scribit: Dictum illud *I. Tim. II. v. 4.* varias habet interpretationes. Primum ita explicatur , Deus vult omnes homines salvos fieri , voluntatescili: revelata ex Scripturis , quæ etiam voluntas Signi appellatur à Scholasticis. At voluntate arcanâ , quæ & beneplaciti vocatur , non omnes salvos fieri vult Deus , sed solos electos. Idem inculcat passim *Piscator contra Hemmingium de gratia Dei , Contra Schaffmannum etc.* alijq; Et eam quidem voluntatem Signi adeo determinat a voluntate Beneplaciti , ut hanc , quam efficacem & potentiss. prædicat , quaq; Deus electos ad vitam æternam prædestinat , negent esse revelatam. Sic *Petr. Martyr in loc. Comm. class. I. cap. XIV.* ¶ 3859. Disputat , Deum voluisse voluntate Signi , ut homo viveat , at voluntate beneplaciti , ut interiret. Addit , qvod aliquo modo indicavit , referendum est ad voluntatem signi ; quod autem sibi soli , ut secretum & arcanum retinuit , id ad voluntatem beneplaciti. Item: Hæc voluntas cum altera conjuncta est. Nam qui ab altera excidunt , in hanc incidunt , & qui aspernantur eam Dei voluntatem , quâ Legem , promissa , minas & consilia proponit , in eam incurunt , quâ peccantes pro sceleribus pænas luunt. Item: Hæc porrò ea voluntas est , quâ Deus electos ad æternam vitam prædestinat , quæ ut nobis obscura est , ita cum sit potentissima , labefactari non potest. Ex hac dominicæ voluntatis distinctione satis intelligimus , quid respondere oporteat , quando nobis objicitur , *Deum fecisse hominem in animam viventem , & propterea non*

D

rea non

ea non velle, ut pereat. Nam dicimus, id esse verum, quoad signi voluntatem, siquidem homini Legem obtulit, promissa, minas, consilia. Quæ si fuisset amplexus, utiq; vixisset. At si alteram illam potentem & efficacem voluntatem spectemus, certè negari minimè potest, eum voluisse hominem interire. Quia ut habetur *Prov. XVI.* *DEus omnia propter seipsum condidit, impium etiam ad diem malum.* Et Paulus docet: *Deum instar figuli alias quidem vas in gloriam fingere, alia in contumeliam.* Hæc quoque voluntas ea est, quâ Deus pravas hominum cupiditates & peccata regit, gubernat & moderatur, ut dictum est, pro suo arbitrio. Hac Deus voluntate impios tradit in reprobum sensum, immittit Chaldaeos, qui populum suum captivum abducant, addit illusionibus efficaciam, seduci vult impios, & eos dicitur indurare. *Hac Martyr d.l.* Quæ omnia ut ex abscondito quodam Dei beneplacito perperam dederit, ita multis modis erronea sunt, cum partim ad voluntatem judicij divini in verbo satis superque revelatam referantur, qua impios ob antegressa peccata, tanquam justus Judex punit, cohibet, coeret, & tandem ob contumaciam deserit: partim prorsus non sicut efficaciter ex Dei beneplacito, utpote peccata impiorum & obdurationem, sed contra ejus voluntatem, licet ea permittat, moderetur, inq; finem bonum dirigit. Paulus *Rom. IX.* non ait, Deum vas iræ in contumeliam fingere, sed ea multâ lenitate tolerare, videlicet, ut ea commoveantur ad pænitentiam, æternumq; vivant. *Rom. II. v. 22.* *II. Pet. III. v. 9.* Locus *Proverb. XVI.* non agit de creatione impij, multò minus de creatione primi hominis, ut Martyr hic eo abutitur, sed de Providentia DEi, qua in pænas promeritas trahit impios. Dies malus ibi est, non malum culpæ, sed pœnæ, ut in *Proverb. cap. XV.* 15. *cap. XXIV.* 10. c. *XI.* 4. *Psal. 41,* 2. *Psal. 49.* v. 6. &c..

Thes. XXI. De quibus alibi fusius, nunc illud saltem animadvertisendum est, quod de voluntate signi & beneplaciti pronuntiat, & præcipue an illud, quod DEus hominem fecerit in animam viventem *Gen. II.* intelligendum sit de voluntate signi tantum, & quidem in oppositione, ut voluntate beneplaciti, eum non vivere, sed perire voluerit. Hoc illud est, quod Eminentissimus &

Nobi-

Nobilissimus olim Theologus B. D. Hoe in der Unvermeidlichen  
rettung adversus oraculum Dodonæum non immēritō con-  
demnavit. Ein abschewlicher Calvinischer vnd vom Teuffel ent-  
sprossener gewel ist / daß vnserm H E R R E N Gott einsolcher  
scheinwille angedichtet wird / der dem eigentlichen ernsten Willen  
G O T T E S ganz vnd gar zu wider vnd zu entgegen lauisse / also  
daß der Calvinisten fürgeben nach / vnser H E R R O G O T T gar  
anders rede im wort / oder in der heiligen Schrifft vnd gar anders  
wegen seines bey sich heimlich gemachten Rathschlusses gesinnet  
sen. als zum Exempel Petrus Martyr schreibt d.l. Loc. Com. cap.  
14. n : 39. f. Deum voluisse voluntate Signi, ut homo viveret, vo-  
luntate beneplaciti, ut interiret. Gott habe dem schein willen nach  
gewollt / das der Mensch solte leben / dem eigentlichen Willen aber  
nach / das er solte verderben. Hoc dico illud esse, qvod in Marty-  
ris sententia meritō damnatur.

THES. XXII. Jam & tota doctrina Calvinistarum crassiorum  
de voluntate Signi & beneplaciti divini perversissima prorsus est, Crocius de  
Voluntate  
Signi.  
qvod diffiteri non potest Ludow: Crocius; ideò ex gravi qvodam  
Theologo *dissert.* VII. de voluntate Dei §. 15. sic scribit: Non sine  
judicio gravis Theologus non est, inquit, hæc voluntatis divinæ  
distinctio, quæ dupliciter nostro considerandi modo consideretur,  
sed est distinctio signi, quo Deus voluntatem suam manifestat, ab  
ipsa voluntate, quæ per signum illud manifestatur. Si rite ex-  
pendatur, inepti sunt illi termini, inepti appellandi modi, meli-  
us distinguerent, si accuratè loqui vellent, inter beneplacitum,  
& inter signum voluntatis divinæ. Sed demus hoc ruditati isti-  
us seculi, & remittamus ad aliquas istorum hominum ineptias.

THES. XXIII. Errant omnino graviter, qui voluntatem  
signi adeò dividunt à beneplacito, ut circa idem uniforme obje-  
ctum dissentiant, & in tantum contradistinguantur, ut aliud sta-  
tuatur in signo, aliud de eodem prorsus absconditum lateat in be-  
neplacito. Hac enim ratione tollitur omnis veritas signi, indeq;  
voluntas signi, ne vera quidem erit, sed fallax nimis. Id quod a-  
gnoscit Wendelinus lib. 1. *Theologiae Christianæ* cap. 1. thes. X. pag. 71. *Wendeling*  
*scribens.*

scribens: actum esse de veritate verbi; si non exacte consentanea voluntas signi & beneplaciti: si, inquit, cum voluntate signi exacte non consentit voluntas beneplaciti, cuius signum profert Deus in verbo, actum utiq; est de veritate verbi divini. Item in Proleg. c. 2. thes. 5. p. 12. ait, ubi consensio inter signum & conceptum signatum non est, ibi veritas signorum seu verborum non est, quicunq; tandem loquentis sit finis. Ut si Numa dicat, se leges suas accepisse a Deo Ageria, quas tamen sciat a Deo se non accepisse: dicat tamen eos fine, ut legibus suis auctoritatem conciliet apud plebem: mentitur Numa. Rectius ergo Molinæus in Anatom. Arminianismi c. 4. p. 20. §. 10. hac in causa judicat. Thomas, inquit, & Scholastici, voluntatem Dei distinguunt in voluntatem beneplaciti & voluntatem signi, id est, significatam: Cuius distinctionis membra coincidunt: nam de voluntate beneplaciti, multa nobis significata sunt. Unde hodierni molliores Calvinistæ concedere coguntur, & publicè docent voluntatem signi esse veram internam & seriam Dei voluntatem. Quâ de causâ Bergius im Unterscheid vnd vergleichung des Evangelischen vom willen Gottes p. 86. sic scribit: Darneben verneinen die vnseligen nicht/daz Gott aller Menschen seeligkeit warhaftig dergestalt vnd so ferne wolle / wie ers in seinem worte / als dem zeichen seines willens/dem auch der geheime wille seines wohlgefallens keinesweges zu wider ist/bezeuget hat. Item pag. 88. Daz es dennoch auch der warhaftee ernste / innerliche wille Gottes seyn / was er wil/daz die Menschen auf schuldigem gehorsam thun sollen / ob er ihnen schon darueber die Macht vnd Freyheit lesset / daz sie auf ungehorsam unterlassen können / daz wird in der schrift vielfältig gelerret: Denn alle gebore Verheissungen / Bedravungen / Warnungen / Vermahnungen / Flagen vnd Verweisungen Gottes / sind eitel Zeugnisse dieses Willens / vnd bedeuten ein recht ernstes innerliches begehrten / Gottes an die Menschen: Auch alle Straffen vnd belohnungen/vnd alle gerichte Gottes sind effecta dieses Willens / weil Gott eben darumb so heftig zürnet vnd straffet über die Gottlosen / das sie nicht gethan / was er wolte / das sie thun solten: gleich wie er hingegen die Frommen so reichlich dafür belohnet / das sie seinen willen gehau haben.

THESE



THESES. XXIV. Alij ergo cum animadverstant dicta illa loquuntur de voluntate beneplaciti divini, alia comminiscuntur glossemata & krophas, quibus pudendam suam contegant causam, prætendentes eorum universalitatem esse restringendam ad eos, qui salvantur, vel qui veniunt ad agnitionem veritatis, & convertuntur, quam accommodam vocitant distributionem, vel ad genera singulorum, ad hominum ordines & status. Sic Zanchius lib. V. de natura Dei cap. 11. f. 563. alijs ait, de voluntate beneplaciti interpretatur, sed varie exponunt dictionem, Omnes. Aug. Tom. 3. Enchi. ad Lau: cap. 103. Accipiunt enim quidam Omnes, non pro omnibus in universum hominibus, sed pro omnibus electis, qui servantur. Et sic exponunt, Deus vult omnes homines salvos fieri, id est, omnes, qui servantur (iij autem sunt electi) Dei voluntate servantur, quia Deus vult illos servari. Præterea ijdem pro electis itidem accipiunt omnes, sed aliâ ratione explicant: nempè Omnes homines, id est, ex omni genere hominum aliquos: esse enim in omni genere hominum aliquot electos. Proinde orandum Deum pro hominum genere, etiam pro tyrannis principibus, ut si fortè electi sint, seruentur. Atq; hæc videatur esse genuina interpretatio. Eodem modo exponit P. Martyr in L. C. class. I. cap. 14. Item Perkinsus de prædestinatione & gratia Dei, nec non Calvinus in I. Tim. II. Verum impingunt illi in manifestam litteram illorum dictorum, quæ notanter loquuntur de omnibus hominibus, de peccatoribus, etiam morientibus in peccatis. Disertè ait Dominus, nolo mortem morientis Ezech. XVIII. & infra cap. XXXII. addit, quid moriemini domus Israel? quibus verbis suam voluntatem extendit quoq; ad eos, si qui incuria Prophetæ pereant, vel ob peccata sua moriuntur. Paulus vero clare loquitur de omnibus ijs, pro quibus est orandum. At vero non pro ijs saltem orandum est, qui salvantur, nec pro generibus singulorum tantum, sed promiscue pro omnibus hominibus, et singulis, etiam pro hostibus veritatis, pro Tyrannis, pro inimicis, pro infidelibus, ut convertantur. Quam in rem Marloratus ex ipso Calvino super I. Tim. II. scribit. Paulus jubet non pro fidelibus modò concipi orationes, sed pro universo genere humano. Poterant enim nonnulli ita secum reputare, Cur de infidelium salute essemus solliciti, qui-

Zanchius.

Omnès pâ-  
riè intelliguntur.

Omnès &  
singuli.

Bus cū nihil est nobis necessitatis. Nonne satis est, si fratribus pro  
fratribus oremus mutuo, ac commendemus Deo totā suā Ecclesi-  
am. Nihil enim ad nos extranei. Huic sinistræ opinioni oc-  
currit Paulus, ac jubet Ephesios, suis precibus complecti *omnes mor-  
tales*, nec eos ad corpus Ecclesiae restringere. Christianorum enim  
est imitari exemplum Dei Patris, & Jesu Christi, filij sui. Ille  
autem sinit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super  
justos & injustos. *Matth. V. 55.* Hic vero etiam pro persecuto-  
ribus oravit. *Luc. XXIII. v. 34.* Gentiles in sacris suis de-  
vent Christo addictos: at Christiani pro universis hominibus, et  
iam inimicis & peccatoribus orare debent. Item Apostoli tem-  
poribus Reges erant infideles, & Ethnici, adversarij fidelibus: sed  
tamen pro his orari voluit, immo tanto solicitius hoc curavit,  
quanto magis clementiae divinae influxus illis pro illorum  
regimine necessarius, ut bonificerent, ut tractabiles mansuetè præ-  
sint, benignè dominantur. *Præterea monet Marloratus ex Calvinis:*  
Poterat fidelibus ista obstrepere cogitatio, non esse pro illis oran-  
dum, qui totas vires, opesq; suas conferrent ad oppugnandum  
Christi regnum, cuius propagatio cum primis optanda est. Quot-  
quot autem erant illo tempore Magistratus, totidem erant quasi ju-  
rati Christi hostes. Occurrit autem Apostolus, ac disertè jubet, pro  
illis etiam precari etc. Idem inculcat in *Comment. sup. Joh. cap. 17-*  
Jubemur pro omnibus orare, etiam pro inimicis, & Apostolus hor-  
tatur, ut ante omnia sicut deprecationes, obsecrationes, interpel-  
lationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus. *i. Tim. II. v. 1.*  
Deinde Christus ipse postea indifferenter pro omnibus oravit, Pa-  
ter, ignosce illis: quia nesciunt quid faciunt *Luc. XXIII. 34.* Ad  
hæc mediatoris munus non solum orando, sed & offerendo con-  
stat. Colligamus ergo argumentum Apostoli: Orandum est pro  
omnibus & singulis mortalibus, pro infidelibus, pro Tyrannis,  
pro impijs, & reprobis; quia eorum omnium & singulorum, etiam  
infidelium, etiam tyrannorum & impiorum, & reproborum sa-  
lutem atque conversionem vult Deus. Argumentum talè est. *Pro  
qvibus est orandum, eorum omnium salutem vult Deus. Atqui pro om-  
nibus omnino, & singulis hominibus est orandum, uti haec tenus satis su-  
perq;*

perq; demonstratum est. E. omnium omnino & singulorum hominum  
salutem & conversionem vult Deus.

THESS. XXV. Clara hæc adeò sunt, ut istam quoq; interpretationem & restrictionem *Omnium*, recentiores Calvinistæ deserere cogantur, qvin & improbant eam non pauci. Qvam ob causam Daniel Chamier non ignobilis Calvinista *Tom. III. de prædestinatione lib. VII. c. 6.* sic scribit: sunt, inquit, qui distinguentes *Chamier.* singulorum genera, à singulis generum, dicunt Deum velle omnes salvare, id est, *omne hominum genus*, quia nulla sit apud Deum distinctio *Judæi & Græci, liberi & servi, divitiorum & pauperum, maris & fæminæ.* At nolle tamen servari omnes, nempè eundo per singulos, ita ut nullum individuum omittatur: quomodo dicimus, *omne animal fuisse in Arcâ Noë*, etsi verum, fuisse duntaxat ex omni specie quadam. Alij omnes reduplicative explicant, vult omnes salvare, qui salvantur; quia nemo salvatur præter ejus voluntatem. Sic dici possit, *Hic magister docet omnes pueros hujus civitatis*, non quod omnes omnino doceat, sed quid nemo doceatur, nisi quem ipse doceat. Quam similitudinem ut ut etiam S. Augustinus adhibeat *lib. de nat. & grat. cap. XL I.* hic tamen locum non habet, ideoimprobat eam Chamier, & addit; Harum distinctionum neutra videatur accommoda. Nam & durum est illud 2. Pet. 3. nolens ullos perire, flectere ad genera singulorum, & illud certè *Ezechielis XVII. l.* non vult Deus mortem peccatoris, cum mors non possit considerari in generibus singulorum, sed in singulis generum. Sed & Pauli institutum (cum scil. i. Tim. 2. dicit Deum velle omnes salvos fieri.) seorsum abit. Jubet enim orari, non pro singulorum generibus, sed pro singulis generum. Argumento sunt reges & πάτερες οἱ ἡγεμόνες, pro quibus sigillatim Ecclesia orat pro varijs temporibus, & locis. Exempli gratia pro Neronem, cum hæc Apostolus scribebat. Non est verò bona ratio, Orate pro Neroni, quia Deus vult aliquos Imperatores salvati. Altera æquè impingit in easdem rationes. Nam quid infantius quam si dicas, Deus non vult aliquos perire, qui servantur; non vult mortem peccatoris, quem vult servari. Orate pro Neroni, quia Deus vult servandos servari. *Hac Chamier verè ac solide.*

Hactenus



Hactenus ergò , ubi firmiter consistant Calviniani , non conve-  
niunt , sed undiquaq; dissentunt , mutuisq; ac infestis signis se op-  
pugnant , jugulantq; .

Chamier.

THEs. XXVI. Tandem eò dilabuntur , ut voluntatem  
DEI hic rursus pervertere conentur , distinguentes inter-  
ēudoxias & ēvāgesias , quasi DEUS delectetur quidem  
salute omnium hominum , tanquam rebonâ , si fiat , non tamen  
eam velit in ēudoxia sive beneplacito , & intimo suo decreto . Sic  
Chamier dictò loco respondens ad argumentū , quod Deus neminem  
prædestinet ad damnationem , quem velit salvati . Respondeo , inquit ,  
*Supposità distinctione voluntatis Dei* , ut alias in ēudoxias , quâ Deus de-  
cernit aliquid suo tempore fieri , ad quam refertur prædestination :  
Et ēvāgesias , quâ velit hoc illudve ab hominibus fieri , juxta sua  
præcepta , sive ex officio . Hac , inquit , distinctione suppositâ , respondeo  
ad Argumentum : de ēvāgesia , negari majorem . Quemadmodū n.  
vult Deus , filium optare longos annos patri , nec vult tamen ipse da-  
re : *Sic vult Deus omnes homines servari* , id est , tendere ad salutem-  
nec tamen vult ipse hominibus omnibus dare salutem . Verum enim verò  
hoc est uno iectu profligare , ac prosternere omnia ea , quæ hacte-  
nus asserta fuerunt . Neq; verò tantum dicitur in verbo DEI ,  
DEUM non delectari morte impij , sed & seriò velle , ut con-  
vertatur , vivatq; . Quinimò fidelissimus Deus sanctè contestatur ,  
se velle convertere impium , cor emollire , novum ei spiritum dare .  
Quod tanto amore , tanto conatu intendit , ut toto die expandat  
manus suas Esa . LXV . v . 2 . & Christus studeat congregare , con-  
tumaces etiam Iudæos , sicut Gallina pullos Matth . XXIII . v . 37 .  
Unde luculenter patet , quod Deus non approbativè tantum ,  
ut loquuntur , sed effectivè etiam salutem impiorum velit . Sed  
satis de illis rigidiorum & crassiorum Calvinistarum glossematibus  
& strophis . Reliqua subterfugia in recentiorum quoq; placitis  
occurrent , quibus & ipsi non parum implicantur . Eò itaque  
ista reservanda veniunt .

THEs. XXVII. Redeundum nobis quasi postliminiò est ad  
molliores hodiernos & subtiliores Calvinistas , qui splendida de-  
amplitudine gratiæ divinæ , ut supra prælibavimus , incipiunt scribe-  
re dogmata .

re dogmata. Quorum verba satis speciosa nec exigua, aut in-  
superhabenda penitus, supra induximus. Mens eorum & senten-  
tia qualis sit, & num ipsa doctrina pariter sana sit, id vero est,  
quod nunc inquirendum restat. Promenda igitur essent novissi-  
<sup>mæ illius controversiae specimina & documenta</sup>, quibus eam prodere <sup>controvers-</sup>  
solent. Nec non <sup>episcopis</sup> eam super reaut <sup>nad</sup> episcopis constituenda. Sed <sup>sie speci-</sup>  
quia praesens dissertatio præter opinionem excrevit, & prolixio-  
rem ista causa requirit tractationem in alium locum, & in subseq.  
Disputatione differenda ea omnia sunt. Nunc saltem audiantur  
quæ Joha. Bergius in medium producit, consulitq;. Sic ille istam  
in rem loquitur, in tractatu germanico, Unterscheid vnd ver-  
gleichung von willen Gottes. Deus vult salutem omnium homi-  
num. Nembllich i. Voluntate approbante: das er für sich keine Lust/  
noch gefallen hat an jhrem Verderben/sondern vielmehr an jhren  
heyl vnd seligkeit Ezech. 18, 32. & 33. 11. 1. Tim. 2. 4. 2. Pet. 3. 4. 2.  
Præcipiente & permittente. Dass er auch die nötigen mittel was-  
sie zu ihrer seeligkeit thun sollen/alsz da ist erkentniß Gottes / Bus-  
se/Glaube/liebe/gehorsam ic für alle in gemein verordnet vnd ganz  
ernstlich befohlen: auch darauff die Seeligkeit allen gar trewlich  
verheissen. Mich. 6, 8. Eccl. 12. 13. Rom. 1. 20. 21. Act. 17. 30. Jes.  
45. 22. Tit. 2. 11. 3. Operante dass er sie auch durch seine würfliche  
gute zur Busse leitet / vnd alle dasjenige zu ihrer seeligkeit thun  
wil/waß seiner Weisheit / Güttigkeit / Gerechtigkeit vnd Warheit  
gemäß vnd gnugsam ist / dass sie sich befehren solten / vnd ganz fei-  
ne entschuldigung haben/alsz obs nicht an jhren willen / sondern an  
GODES gnade mangelte/dass sie sich nicht befehren können.  
Rom. 2. 4. Jes. 5. 4. Ezech. 12. 2. & 24. 13. Matth.  
23. 37. Act. 14. 17. & 17. 27. Rom. 1. 20. 21. Joh. 15. 24.  
4 Non tamen necessitante: Nicht aber / das er sie alle unvermeid-  
lich vnd nothwendiglich / oder gewis vnd unfehlbarlich seelig ma-  
chen wolle: sondern das er auch an vielen / die seine Güte vnd Gna-  
de verachten / seinen gerechten Zorn wider die Sünde in ihrer ver-  
damnus erweisen wolle: welches auch etliche nennen den nachfol-  
genden willen Gottes. Hæc Bergius speciose satis,

E

THES.

THESES: XXVIII. Sed latet anguis in herba , multisq; modis  
& turpiter fallit Calvinista. Praeterquam n. quod Calvinismum  
sapient, & aperte satis prodant, quæ de voluntate approbationis, præ-  
ceptionis & promissionis exscholis crassiorum Calvinistarum propo-  
nit, communem ille mediorum salutis ordinationem, quam profi-  
tetur, omnēq; Dei voluntatē, bonitatē, & gratiā, suspendit ab præde-  
stinatione absolutā, ex mero liberrimo Dei beneplacito eoque ar-  
  
*Job. Bergij errores.* cano , quo absolutè noluerit omnes eligere ad *talem* (NB.) gra-  
tiam , qua actu reddantur credentes & salventur. Sic enim scribit d.  
I. n. 64. p. 109. de absoluto decreto , quando loquuntur nostrates,  
rum reden sie eigentlich nicht von der Ursach / warumb Gott die  
Menschen zur gänzlichen Verstockung / oder zum ewigen verdam-  
nis verworffen: sondern von der Ursach / warumb Er sie nicht auch  
zu solcher Gnaden erwehlet habe / wie die andern / die er für die  
Verstockung behütet / und in der That gläubig vnd selig macht / wel-  
ches Er doch an ihnen nach seiner Allmacht auch wohl hätte thun  
können? da sprechen sie / das dieser unterscheid vnd ungleichheit der  
Gnaden Gottes / nicht aus ansehen des guten oder bösen / das Er in  
einem mehr oder weniger / dann in dem andern zu vor ersehen / (da sie  
doch von Natur gleich / und alle unter der Sünden waren/sonderin  
aus seinem freyen Willen vnd wolgesassen herrühre. Item n. 64. p.  
119. de reprobis sic loquitur : das er sie nicht eben zu solcher Gnaden/  
wie die andern / dadurch sie in der That gläubig / und also gewis se-  
lig würden / erwehlet hat / das stehet allein in seinem freyen/doch  
gerechten Willen / wie vor erklärret. Ecce *disparitas gratiae* ex mero  
Dei beneplacito procedat, dependeatq;: *Deum ex absoluto Decreto quo s-  
dam non præordinasse ad illam gratiam , qua actu credentes reddantur.*  
Ita prodit se forex. da rumpelt nu der grobe Calvinismus herein /  
vt benè notat D. Wellerus in tractat. German. De sanctitate Dei cap. 8.  
Sic Johan. Crocius in defens. secund, part. conversat. pruten. Cap. 9.  
& 10. quærerit, cur Deus quosdam specialiter dilexit , cum omnes pa-  
riter erant peccatores. Respondet, quis cognovit mentem Domini?  
Nihil habeo quod dicam , nisi quia Deo sic licuit. Ecce absolutum:  
& arcanum prædestinationis decretum , quod fons & fundus totius  
Calvinismi est.

THESES.

*Disparitas  
gratiae un-  
de?*

Thes. XXIX. Vnde Bergius potrō efficacēm sive operantem illam, ut vocat, Dei voluntatem intelligit juxta hypothesisin absolu- ti decreti prædestinationis, indeq; eam exponit. Videlicet sic æsti- mesea, quæ scribit de sapientia Dei, justitia, & veritate, was (juxta prædestinationem absolutam) seiner Weisheit/Gütigkeit/Gerechtigkeit und Warheit gemäß und gnugsam ist. Ex eodem primo principio insubsequentibus passim docet, contenditq; Christum non datum esse omnibus, ut pro omnibus fatis faceret, illu- minationem & fidei salvificæ dationem acquireret n. 82. p. 175. De- um non velle omnibus hominibus fidem in Christum conferre, non omnes æquali salutis intentione, & pari efficaciæ effectu voca- re, mit gleicher intention der seligkeit / und gleicher affection die- selbe zuwirken &c. Hæc omnia Bergius, quæ & erronea valdè sunt & crassissimum sapiunt Calvinismum. Similia notare convenit in utroq; Crocio, alijsq; mollioribus Calvinistis.

Thes. XXX. Quanquā verō Ludowicus Crocius amplitudinē gratiæ magis magisq; videatur extendere, & omnino aliquam communem gratiam afferat pro omnibus hominibus, ita tamen eam proponit, ut ejus determinationem sive limitationem, nec non efficaciam fructumq; suspendat ab absoluto Dei beneplacito, ab absoluta prædestinatione, secundum quam Deus, Sapientissi- mus, & justissimus, eam emetiatur, ordinet, dispensem, admini- stretq;. Inde nim̄rum diversam statuit in Deo Φιλαθρωπίᾳ, af- fectumve erga eosdem paresq; peccatores: disparem & inæqualem salvandi voluntatem, inæqualem miserandi gratiam erga æquales eos, erga eosdem homines lapsos in communi corruptione consideratos; (Notanter loquor de lapsis peccatoribus & æquali- bus reis, de ijs n. nunc queritur, quomodo Deus eorum omnium misereri voluerit, quo animo & qua ratione eos salvos velit, è com- muni miseria eruere, et in integrum restituere. Hic, inquam, quæ- stionis status est, non de reprobis nunc contentio est, sed de paribus, ut dixi, in pari delicto per unum eundemque Adæ Lapsum Contra- cto deprehensis) Circa illos Crocius statuit inæqualem miserandi actum, inæqualem dilectionem, ita ut Deus ex mera εὐδοκίᾳ quos- dam tantum specialiter dilexerit, indeq; illos paucos peculiariter dilectos

dilectos tali tantaque gratia prosecutus fuerit, quâ infallibiliter & irresistibiliter convertantur, fide donentur atq; salvantur. Reliquos omnes multò plures communiter quidem dilexerit, non eodem tamen animo, aut æquali affectu, nec sic dilexerit, sed potius ab illa speciali gratia excluderit penitus, ut ut eos aliquo modo & communi quadam gratia complexus fuerit. Et cum ab illa speciali gratia absolute sint exclusi, ideo Christus pro ijs specialiter non satisfecerit, nec ea gratia vocentur, qua infallibiliter convertantur, nec fide salvifica unquam donentur &c. Cur hæc omnia sic fiant? quia Deo ex mera èudonia sic placuit.

THES. XXXI. Hæc summa est doctrinæ Crocianæ & reliquorum molliorum Calvinistarum. Qualis ea sit, & qualis de ea èπικερίσ, seu potius κατάκερίσ, facienda sit, haud obscurè inde patescit, nec difficulter perspicitur. Scilicet ex primo totius Calvinismi principio de absoluta prædestinatione, duplicem in Deo facit voluntatem erga idem uniforme objectum, specialem unam, alteram communem longè diversam, absolutam erga paucos specialiter dilectos, & conditionatam erga reliquos ab absoluta illa speciali gratia excusos, sicque cum crassioribus Calvinistis amicè conspirat. De cætero non nisi glaucomata imperitoribus objicit. Quod crassioribus Calvinianis dicitur absoluta reprobatio, sive à gratia sive à gloria, itemq; absoluta præteritio, vel ut tandem loquuntur, absoluta non-electio, idipsum Crocio est exclusio à speciali gratiâ, quæ infallibiliter deducit ad salutem, inde omni reliqua dependent. Et hæc lerna malorum, Hic fons enormium errorum est. Sed abrumpenda modo hæc sunt. Alius ea de re differendi locus erit. Concludimus verbis B. Lutheri ex tom. 1. Witteb. lat. Disp. sup. 1. Tim. II, pag. 438. In Deo non est ἀγωπόληψία. Est autem ἀγωπόληψία, paribus simpliciter non tribuere paria. Nos igitur simpliciter Interpretamur illud: Deus vult omnes homines salvos fieri. Scilicet quoad ipsius voluntatem. Tantum est, quod hac vice præmonere voluimus.

Soli Deo Gloria in secula  
seculorum Amen.

05 A 1461

ULB Halle  
003 777 901

3



5b

107



